



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses**

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici  
hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent,  
vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

**Stapleton, Thomas**

**Lvgdvni, 1595**

Ca. 16.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39463**

manifestè docens, Apostolos petuisse à Christo ut illius pre-cibus annueret. Alioqui hæc Christi responsio nihil ad rem faceret.

Iam verò impia est tota Caluini responsio, qua infert pro patrocinio Sanctorum hoc exemplum facere non posse, quia alia est mortuorum ratio quam viuorum. Impiū est & ethni-cum Sanctos in cælo cum Christo regnantes mortuos vocare, & phrasis propria infidelium. Sic Julianus apostata Mat-tyres Christi homines mortuos vocavit, & tota gētilitas Chri-stianos, qui Martyres defunctos colerent, hoc nomine sub-sannauit, quod mortuos colerent. Sed totam hanc Caluini im-pietatem uno verbo Christus refutauit, dicens, Deū, qui Deus Abraham, Isaac & Jacob vocatur, nō esse Deum mortuorum, sed viuentium. Sic Deus Sanctorum in cælo regnantium non est mortuorum Deus, sed viuentium: vnde non sunt mortui vo-candi, sed viuentes: ideoque ad patrocinia non minus idonei quam cùm in terris viuerent: imò multo magis idonei, vt Patres docent.

Cyrillus li.  
6. cont. Iu-lian.

Matth. 22.

Hieron.  
cont. Vigilantium.  
Chrysost.  
hom. vlt. in Epist. ad Rom.

## IN MATTHÆI CAP. XVI.

I. Rogauerunt eum vt signum de cælo ostenderet eis.

**R**ARI SABISTI & Sadducæi quum multa & ma-xima iam Christi signa vidissent, circa hominum & morborum omnium curationem, circa panum multiplicationem, ipsam denique in mari ambu-lationem audiuerint, aliisque multa huiusmodi, importunè admodum & protervè, vt lue incredulitati aliquem succum obtendant, etiam de cælo signum querunt. Hanc importuni-tatem & dementiam obiicit Catholicis hodie Caluinus. Sic (inquit) hodie Papistæ quasi nunquam sancta esset Euāgelij do-trina, nouis miraculis probari sibi postulant. Cui putidæ ca-lumnæ breuiter respondeo. Euāgelij doctrina qualem tota per orbem Ecclesia post primam eius prædicationem ha-ctenus tenuit, nobis satis supérque sancta est: neque ad eam ma-gis sanctiendam vel confirmandam vlla miracula desidera-mus, sed sufficit nobis Catholicæ Ecclesiae fides in verbo Dei semper fundata, & à maioribus nostris ad nos vsque deriuata. At verò vt noui Caluini doctrina, quam ille Euāgeliū vo-cat, maioribus nostris haetenus incognita, nobis probetur, quādoquidem ille nouus Euāgelistæ esse vult, nouis quoque

Miracula  
nouæ prædi-cationi ne-cessaria.

Isan. 7.

miraculis probetur merito desideramus, tum quia planè noua est & inaudita, tū quia nullis hactenus miraculis illustrata est. Pharisæi & Sadducæi non in eo peccabant, quod ad confirmationem doctrinæ Christi penitus noua signa petebant (nam ad illam confirmandam plurima signa Christus studio fecit, dicens tandem: *Si mihi non creditis, operibus credite*) sed tum quia signum è cælo petebat, quasi genus miraculi Christo præscribentes, tum quia post tam multa & tam illustria præstata miracula, illis non contenti, noua semper postulabant. Nunc Caluinus cum suis nouis dogmatibus nullum miraculum facere potuit, re tandem infeliciter Genevæ tentata, Matthæo quodam, qui sc̄ mortuum fingeret, ut à Caluino suscitari videretur, verè & miserè extincto. Nec ab eo signum de cælo, sed vel minimum in terra miraculū exigitur. Adeo nihil affine aut simile habet cū Pharisæorum impudenteria, quod Catholicis impudenter impingit Caluinus.

### 6. Cauete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum.

Cap. 24.

**Q**uod per fermentum Pharisæorum hoc loco Hieronymus & Hilarius in suis cōmentariis ipsam legem Moysicam & literam eius intelligi volunt, sensus ille non ad intentum Christi, sed veluti ipsorum & nostris temporibus magis conueniens, (quibus videlicet nunc lex illa quo ad sua ceremonialia & literam occidentem fermentum est) ab illis traditus fuit: idque docendi gratia: quod apud veteres interpres frequenter obseruare licet. Ipsa enim lex adhuc Christo hæc loquente adeo vigebat, ut infra dicturus sit: *Super cathedram Moysis sederunt Scribe & Pharisei. Quacunque ergo dicunt vobis, facite & seruate. Quæ verba non sunt huic loco contraria. Hic enim iubet Christus suos cauere non ab eorum doctrina quam super cathedram Moysis sedentes docēt, id est, quam per continuam maiorum successionem à Moysi acceperant, sed ab eorum fermento, id est, priuata & propria eorum doctrina ab ipsis adiuenta (nam & ideo Sadducæos illis adiunxit, qui super cathedram Moysis non sedebant, sed propria tantum fermenta docuerunt) qualis est hodie hæreticorum omnium maximè Caluinistarum doctrina à seipsi excogitata, dum nouis suis & vitiosis dogmatibus ita oppresam tenent diuinarum Scripturarum, maximè Euangelicæ & Apostolicæ doctrinam, ut stolidis eorum commentariis ac nouis Dei verbis corruptelis, nihil in fide sanū, nihil in Scriptura*

ptura integrum maneat. Citius ignis aquæ miscebitur quam  
vt Caluini figura cum Euangelio quis conciliet. Quare  
qui Christi discipulus esse vult, ab hæreticoru hodie & Cal-  
uini maximè fermentis putum se seruare imprimis studeat.  
De hoc arguento plura vide in Prompt. Cath. Dom. 7. post  
Pent. ad illa verba: *Attendite vobis, &c.* Item ser. 3. Pent. ad illa  
verba: *Alienum non sequuntur, sed fugiunt ab eo.* Caluinus ta-  
men hoc loco contra Pontificiam & Ecclesiasticam doctri-  
nam magnum se argumentum obseruasse putat. Sic enim scri-  
bit. *Videndum est quorū doctrinam caneri velit Dominus.* Tunc  
certè penes Scribas & sacerdotes ordinaria erat Ecclesiæ po-  
stulas, in quibus priuatum tenebant Pharisei. Quum nominatim  
ab eorum doctrina prohibeat suos Christus, sequitur repudian-  
dos esse omnes quia sua figura admiscent verbo Dei, vel quic-  
quam alienum ingerunt, quo cunque tandem polleat honoris gra-  
du vel titulo superbiant. Quare maledicta & prauaricatrix est  
eorum subiectio, qui se ultro Papæ & cōmentis & legibus subjiciunt.  
Hoc Caluini argumentum omnium rebellionum hæretico-  
rum fundamentum est, multiplici impietate & ineptia labo-  
rans. Primum, nō sequitur Ecclesiæ magistros fermentatam *Synagogæ*  
& corruptam doctrinam tradere posse, eo quod Synagogæ error non  
magistri Scribæ & Pharisei eam tradiderint. Firmiores quip-  
pe sunt Ecclesiæ promissiones quam Synagogæ. Illi enim di-  
ctum est: *Porta inferi non præualebunt aduersus eam.* Rursum:  
*Spiritus S. docebit vos omnem veritatem in eternum.* Denique: *Matth. 16.*  
Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi. *Synagogæ* *Ioan. 14.*  
error ac lapsus non solum possibilis, sed & prædictus erat. *Matth. 28.*  
Secundò, quæ Synagogæ magistri etiam corrupti illi ex ca-  
thdra Moysis dicebant, id eit, iuxta doctrinam à maioribus  
suis continua successione accepta, ea facienda & seruanda es-  
se Christus docet. Fermentum à quo cauere iubet, priuata &  
recens erat quorundam adiumentio. *Quo* sane sensu priuatus  
quispiam in Ecclesia Episcopus aut sacerdos non ex cathedra  
antiquitus tradita, sed ex suo cerebro propria quædam & no-  
ua dogmatizans audiendus non est. Tertiò quando Ecclesiast-  
icum magistri vel ex cathedra docent, vel sua fermenta ob-  
trudunt, non cuiusvis è populo, sed aliorum superiorum Pa-  
storum & Synodalium maximè autoritatis est iudicare. Quar-  
tò si Caluini argumentum simpliciter admittatur, nec ipse  
Caluinus nec aliis quispiam hæreticus magister authorita-  
tem docendi diu retinebit; sed non obstante ministerij sui  
honore & dignitate, facilimè à quolibet reiicitur quod do-

cet, tanquam fermentum Pharisaeicum: sicuti & olim *idem* *l*  
*cuius* *Valentinianis* quod *Valentino* (ait in *Præscript. Tertullianus*) & hodie *idem* licuit *Lutheranis* quod *Luthero*, qui ab illo maximo numero desciuerunt, sicut ipse ab Ecclesia desciuerat. Nihil ergo hoc *Caluini* argumento magis impium, nihil ineptius. Sunt autem hæc omnia latius explicata in opere nostro de *Princip. fidei*, potissimum vero libro 2. cap. 1., & lib. 10. cap. 4.

18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.*

**T**otum hunc locum *Caluinus* novo commentatio penitus peruerit. Ait *Simonem Petrum* vocari, *quia viuus in templo Dei lapis suam stabilitatem retinebat. Super hanc petram exponit, esse Christi fidem, super quam non tantum Simon, sed & omnes alij fundati sancto consensu in spirituale ædificium aptantur: & quicquid piorum in mundo futurum erat, Petro aggregare Christum voluisse. Non præualebunt aduersus eam, exponit de Ecclesiæ quidem inuicta firmitate intelligi, sed quod de corpore Ecclesiæ dicitur, ad singula eius membra perinere, quatenus unum sunt in Christo: & quicunque in Christo uniti Christum maiorem agnoscunt, in finem usque ab omni noxa ruti manebunt. Hæc ille. Ita insigni impostura ac fraude totum hunc locum peruerit. Quæ Christus de unius Petri & successorum eius persona dixerat, ad quemlibet fidelem trahit. Quæ de totius Ecclesiæ firmitate Christus promisit, ad specialem fidem & certitudinem salutis in quolibet credente contorquet. Ita non solùm verum sensum peruerit, sed & impio dogmati de unica piorum fide in amissibili hanc Scripturam subseruire facit. Verum autem & genuinum ex Patribus de promptum horum verborum sensum, est usque loci vim & doctrinam uberiorius explicaram vide in *Prompt. Cath.* in fetto SS. Petri & Pauli. Iam vero hæc verba, *Tibi dabo claves regni cœlorum, uni Petro singulariter dicta*, ad omnes Evangelij ministros transfert *Caluinus*, & totam clavum potestatem in verbi ministerio ac prædicatione ponit. Contra quam duplicem huius loci corruptelam vide à nobis disputata in *Prompt. Cathol.* loco citato.*

Cate

Cæterum quia Calvinus facta sua expositione hæretica, Catholicam vult impugnare, disputationem eius breuiter examinabimus. Ait se velle putidas Papa calumnias breuiter diluere, quem tamen quæ postea diluere conatur, non unius Papæ, sed veterum patrum & doctorum Ecclesiæ assertiones & explicationes sicut. Fingit (inquit) Petrum vocari Ecclesia fundamentum. Respondeo: Hoc Papa non fingit, sed patres magno consensu docent, quos loco citato magno numero produximus. Sed quomodo hanc interpretationem refutet videamus. *Quis autem non videt, quod transfert ad hominum personam, de Petri fide dictum esse?* Hoc non est veritatem refutare, sed fortiter quod falsum est affirmare. Quomodo autem de fide quoque Petri patres hoc exponunt, loco citato explicuimus. Deinde si nunc de Petri fide hoc dicitur, Calvini, cur prius de omnium in Christum credentium fide hæc verba exposuisti? Sequitur. Idem fateor apud Gracos significant Petrus & Petra, nisi quod prius nomen Atticum est, alterum vero communis lingua. Sed hec varietas non temerè à Matthæo posita est, quin potius consulto mutatum est genitus, ut diuersum aliquid exprimeret: nec dubito quin tale distimen notauerit Christus sua lingua. Atqui hic Calvinus propter ignoratiæ linguae sanctæ egregie fallitur. Nam in Matthæo Petrus & Petra una Hebreo qui nunc extat, sine villa mutatione generis legitur, Hebreus dicitur & utrobius idem nomen est, hoc modo:

אֶת־כִּיְפָא זַעַל הַבִּרְכָּה

In Matthæo quoque Syro utrobius est **כָּאֵפָא** sine villa variatione. Quare Beza ipse magistrum suum corrígens in *Beza Cal-*  
hunc locum ait. *Dominus Syriaceloquens, nulla vñus est agnoscitur in unum cor-*  
*minatione, sed utrobius dixit, Cepha.* Græcus autem inter-  
pres Atticæ voce priori loco vñus est, quia genus masculinum  
homini magis conueniebat. Secundo autem loco pétram po-  
suit, quia tametsi ad hominem & personam Petri illa vox per-  
tineat, non tamen ad hominem aut Petri personam simplici-  
ter sicur ipsa nuncupatio Petri, sed ad hominem in fide robo-  
ratum, & ad personam Petri à Christo stabilitam pertinet:  
quæ alibi latius explicata sunt, ut ridiculus sit hoc loco Beza,  
qui posteriori loco petram non Petrum ab interprete positum  
nugatur, ut Christum, qui petra est, secundo loco designaret.  
Christus enim tametsi petra certè est, non tamen est hec petra  
ad quam ibi Christus loquitur. Probare tamen vult Calvinus  
ex Augustino. Prudenter itaque Augustinus non petram à Pe-  
tro, sed Petrum à petra dici admonet, sicut à Christo omnes  
sumus

*I*sumus Christiani. Quo sensu ista & quibus de causis Augustinus ita in hunc modum disputat, accuratè explicatum vide in opere nostro de Princip. fidei lib. 6. cap. 3. Pergit Caluinus. Porro ne longior sim, quū illud Pauli inter nos pro certo & confessio habendum sit, non alibi posse fundari Ecclesiam quam in Christo solo, non sine sacrilega blasphemia aliud fundamentum Papa commentus est. Sed huic putidæ ac tritæ obiectioni vberius quidē loco iam postremo citato, breuiter verò in Prōpt. Cath. in die SS. Petri & Pauli satisfecimus. Quæ calumniando, vel eadem quæ dixerat repetendo, nuda semper affirmatione vsus prosequitur Caluinus, ut inania ac nugatoria prætermittimus.

Dicit tandem aliqua disputandi specie. *A*t Christus Petrum unum nominatim alloquitur. Rectissimè hoc obseruat sibi obiicit Caluinus. Nunc quid respondeat attende. Nempe scuti unus omnium nomine Christum confessus fuerat Dei filii, ita vicissim ad unū dirigitur sermo, qui tamen peraque ad aliis pertinet. Atqui hæc responsio obiectionē magis confirmat. Luce enim meridiana clarius est, Petrum non omnium nomine, sed ex fide sibi soli reuelata, Christum confessum fuisse Dei filium. Idcirco enim non dixit illi Christus, Beati estis quia Pater meus vobis reuelauit, quod cereè dicere debuisset, si omnes idem credidissent, & omnium nomine loquutus Petrus fuisset; sed dicit illi vni singulariter. *B*eatus es Simon bar Iona, quia Pater meus reuelauit tibi: Et ego tibi dico, &c. Deinde quando Petrus alio in loco omnium Apostolorum nomine loquitur, id satis exprimit numero plurali vtens: ut dicente Christo, *N*unquid & vos vultis abire? respondit omnium nomine Petrus: *A*d quem ibimus? verba vita æterna habes. Denique omnes ferè Patres contra vnum Caluinum, vnius Petri, non omnium Apostolorum hanc confessionem fuisse, concorditer docent. Quare sicut solus confessus est, ita ad illum solum dirigitur sermo.

Ad aliam responsonem confugit Caluinus. Nec verò spernenda est illa que à Cypriano & alijs adducitur ratio, Christum in unius persona loquutum esse omnibus, ut Ecclesia unitatem commendaret. Responde Cyprianum docere quidem claus Ecclesia sic uni Petro esse datus, ut & aliis Apostolis dari intelligantur; ideo autem vni, ut Ecclesia unitas commendaretur: sed addit Cyprianus, quod fraudulenter Caluinus silentio permittit: *V*nam cathedram constituit, & unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua autoritate disposita. Et tursam. Exordium

Petrus non  
respondit  
omnium  
nomine.

Ioan. 6.

In lib. de  
unit. Ec-  
clesia.

diū ab unitate proficitur. Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia & una cathedra monstretur. Hæc ille. Pergit Calvinius. Excipiunt alijs omnibus præferri cui hoc peculiariter datum est. Hoc verò perinde est ac si magis fuisse Apostolum contulerent quam suos collegas. Neque enim ab Apostolatu magis diuelli potest ligandi & soluendi potestas, quam à sole calor vel lumen. Nihil ineptius inferri potuit. Sic enim Caluini procedit argumentum: Ligandi & soluendi potestas ab Apostolatu diuelli non potest: Ergo Petrus si in potestate clavium præfetur aliis Apostolis, erit magis Apostolus quam cæteri. Huius argumenti absurditas in simili apparebit: A locum tenente Regio diuelli non potest iudicandi potestas: Ergo si locum tenens Regius in potestate iudicandi cæteris iudicibus localibus, aut certarum ciuitatum Prætoribus antefertur, erit magis iudex quam cæteri. Sicut enim hic locum tenens Regius maior quidē & superior iudex est, ut Regis vicarius, & cæterorum localium iudicium ac prætorum primus, qui ipsis etiam iudicibus præferatur, & illorum sub Rege caput sit, non tamen magis iudex est, sed alij in suo districtu æquè bene iudices sunt, veréque & efficaciter iudicant, quando officium suum legitimè exequuntur; de quo si dubitetur, ad locum tenentis tribunal sit appellatio: sic omnino Petrus Apostolus aliis præfetur in potestate clavium, ut supremus Apostolus, Christi vicarius, cæterorum caput & coryphaeus (ut Patres de eo loquuntur) non tamē magis Apostolus est, ut cauillatur Caluinus, sed alij Apostoli respectu subditorum suorum non minus Apostoli sunt, nec minus verè & efficaciter ligant ac soluunt suos subditos quam Petrus, quando clavis non errat; de quo si dubitetur, ad Petri tribunal sit appellatio. Quomodo autem Petrus ipsis Apostolis ratione claviū prælatus fuerit, vide latius à nobis explicatum in opere de Principi fidei lib. 6. cap. 7.

Cauillatur adhuc Caluinus. Ceterum ut demus Petru concessum plus aliquid fuisse quam reliquis, ut inter Apostolos excelleret; stultè tamen inferunt Papistæ, datum illi fuisse primum ut uniuersale esset totius Ecclesia caput. Nam & aliud est dignitas quam Imperium: & aliud inter paucos summo honoris gradu pollere, quam sub vlnas suas colligere totum orbem. Hæc ille. Primum quod de dignitate distinguit & imperio, pueriliter nugatur. Petri & successorum eius primatus, dignitatem quidem aliquo modo significat, quatenus veri nominis prælatura est, & quidē in summo honoris genere, quia & Christi locum

Futile at-  
gumentum  
Caluini.

locum tener, & super animas hominum potestatem habet quoad illas vel soluendas vel ligandas. Imperium autem illa vox non significat: Imperium huius mundi Regibus & Imperatoribus tum Petrus tum successores eius respectu officij pastoralis reliquerunt. Puerile & caninae facundiae est, sed Caluino visitissimum, in sacrarum Scripturarum tractatione grauissima, intemperanter maledicere, & verbis odiosis veram facti speciem inuertere: denique vel pueriliter ludere, vel malebriter rixari. Alteram rei pensionis partem in sequentibus vult confirmare. Et sane (inquit) non plus illi oneris imposuit Christus quam obire posset. Iubetur regni calorum esse ianitor, iubetur ligando & soluendo dispensare Dei gratiam, eiusque iudicium in terra exequi. Nempe quatenus se extendit mortalis hominis facultas. Vult igitur Caluinus, spiritu planè ethnico & impio potestatem à Christo datam, ad mortalis hominis facultatem metiri. Potuit iuxta illum Petrus ceteris Apostolis & paucis illis hominibus præesse, sed non potest toti orbi præesse, quia hoc mortalis hominis facultatem excedit. In quo vide multiplicem hominis dementiam. Primum, si Petrus paucis illis Apostolis præfuit, multo magis eorum subditis præfuit: At illi toto orbe prædicauerunt, & in totum orbem exiuit sonus eorum: Ergo Petrus, hoc ipso quod illis

2. præterat, toci orbi præfuit. Deinde non potest dici quod propter solas personas Apostolorum Petrus primatum accepit: quia quem iste primatus ad schismatis occasionem tollendam & ad unitatem in Ecclesia seruandam datus fuerit, hoc primatu sanctissimi Apostoli minime omnium indigne-  
runt. Ergo primatum accepit propter ipsos potissimum reliquorum Apostolorū subditos toto orbe dispersos. Rursum si mortalis hominis facultas spectetur, quis demum est qui vel unius minimæ parœciæ præesse, immo qui suam solius animam seruare potest? Spectandum hic ergo non quid mortalis hominis facultas, sed quid Christi gratia valeat, qui quibus iubet, dat id quod iubet. Vide plura in Princip. fidei, lib. 6. cap. 16.

3. Quare Caluinus contra seipsum quasi vertigine laborans concludit. Ergo quicquid ei datum est, ad mensuram gratiae resstringere conuenit, qua donatus est ad Ecclesie edificationem. Planè contra seipsum & contra præcedentem disputationem concludit. Si enim quod Petro datum est, ad mensuram gratiae qua donatus est, restringendum est, quare prius Caluinus id quod Petro datum est, ad mensuram facultatis mortalis hominis restrinxit? An putat Caluinus mensuram gratiae, in or-  
talis

*Caluini  
canina fa-  
cundia.*

*Caluini  
spiritus  
ethnicus.*

*Roms. 10.  
1.*

*Caluinus  
sibi con-  
trarius.*

talis hominis facultatem non excedere? Aut si hoc non putat; quo demum iudicio, qua mēte, Petri potestatem superius ad mortalis hominis facultatem restrinxit, nūc verò ad mensuram gratiæ restringit? Atqui aduertere Caluinus debuit mortalis hominis facultatem in potestate rerū spiritualium nullam esse; iuxta illud Christi: *Sine me nihil potestis facere:* mensuram autem gratiæ, ad quælibet præstanta facultatem dare; iuxta illud Pauli: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Verè igitur quicquid Petro datum est, non ad mortalis hominis facultatem, ut prius disputauit sed ad mensuram gratiæ qua donatus est, ut nunc disputat, expendendum est. Christus autem qui amplissimam potestatem Petro dedit, gratiæ quoque mensuram copiosam ei dedisse credendus est. Nam idcirco vni Petru postea dixit, *Ego rogaui pro te ut fides tua non deficiat.* Et hoc ipso in loco Christus ei dicit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Christus seipsum ædificaturum dixit. Illo igitur ædificante super Petrum, stabit Petrus, & stabit ædificium. *Si enim Dominus ædificauerit ciuitatem, non frustrè laborant qui ædificant eam.*

*Ioan. 15.**Philip. 4.**Luc. 22.**Psal. 125.*

Nunc tamen post tam insulsam disputationem, vide quantum triumphum agat Caluinus. Ita concidit immensum illud Imperium quod illi arrogant Papistæ. Triumphum sanè cccinuit, sed ante victoriam. Quare adhuc in omnem se partem vertens, alia rem aggreditur via. Primum disputat Petri primatum ad successores transire non posse: quod multis tamen argumentis necessarium esse, alibi demonstrauimus. Deinde Romanum Pontificem Petri non esse successorem declamat, contra omnem antiquitatem affirmans Petrum Romæ Episcopum non fuisse: quam dementiam refutauimus ad illa Petri verba in fine epist. 2. *Salutat vos Ecclesia qua in Babylone est.* Tertiò ac postremò debacchatur in Rom. Pontifices horum temporum, quod officium non faciant, ideoque inter Petri successores non habendos esse. Quæ tota oratio contumeliis plena, & argumentis vacua, seipsum satis abunde refutat.

*Princip.  
fid. lib. 6.  
cap. 15.*

### 23. Vade post me Satana: scandalum es mihi.

Scripturnæ Euangelicæ corruptor Caluinus non solum hæc Petri reprehensionem durius & acerbius exponit quam textus ferat, sed etiam in vniuersum Catholicorum pias intentiones & deuotiones circa voluntarium Dei cultum exagitat,

tat, quasi penitus Satanicas, & à Christo hoc loco acerrimè damnatas. De Petro dicit, quòd præpostero suo zelo Satana partes obiret; neque simpliciter à Christo aduersarium vocari, sed diaboli nomen ei imponi in signum maxime detestacionis. Nam & diabolum eisdem verbis à Dominore repulsum fuisse. Cap. 4. & verbum ὅπας facessere significare, unde Latinum *Apage deductum est*: ideóque inepiè quosdam philosophari in verbo retro, vel post me, quasi iubeatur Petrus sequi, non praire. Hæc ille, & ex hac expositione deprauata colligit, docere hoc loco quid valeant coram Deo qua bona putantur intentiones, & hinc videri quanta pertinacia suas deuotiones venditent Papistæ. Denique Christum in unius Petri persona, cuius pia fuit intentio vel saltem probabilis, si sensus & iudicium carnis valeant, compescere omnes voluisse ne zelo suo indulgeat. Demum concludit. Eant nunc Papistæ, & sua placita in calum extollant. Hæc est hoc loco Caluini pugna, victoria, triumphus. Sed non nisi verborum summi ac strepitus sunt.

Petri reprehensionem tam acerbam non fuisse, tum sancti Patres tradiderunt, tum textus ipse & litera satis ostendunt.

*Tract. 1. in Dixit Christus Petro ( aut in hunc locum Origenes ) Vade post Matth. Petri reprehensio qualis. In comment. in hunc locum.*

me, quasi desistenti per ignorantiam ire post Christum. Satanas autem dixit ei, quasi per ignorantiam aliquid habenti contrarium Deo. Hæc ille. Quem sensum magis explicans D. Hieronymus ait. Mihi error Apostolicus de pietatis affectu veniens nunquam incentiu[m] videbitur diaboli. Sed quia contraria lo- quebarur voluntati Christi, debuit aduersarius appellari. Satanas enim interpretatur aduersarius, siue contrarius. Non tam, ut plerique putant, eadem Satanas & Petrus sententia condannantur. Petro enim dicitur. Vade retro me Satana, id est, se quere me, qui contrarius es voluntati mee. Ille audit, Vade Satana, & non ci dicitur retro, ut subaudiatur, Vnde in ignem eternum. Hæc Hieronymus. Et hic sensus maximè literalis ac genuinus est. Nam verba Christi Matth. 4. Vade Satana, non habent illud, ὅπως με, post me: vt Origenes & Hieronymus disertè annotarunt, et si pauci Græci codices ita legat, & vt rectè annotauit Lucas Brugensis ex alijs locis additum: nec Matthæus Hebræus vel Syrus illam vocem habeat, sed simpliciter, *Vade:* ( vel vt textus Syriacus, *Vade tibi,* לְךָ ) vt etiam Ignatius ad Philippienses, Chrysostomus, Euthymius & Anselmus legerunt. Fallitur igitur Caluinus dicens diabolum eisdem verbis repulsum fuisse, quibus Petrus. Nec rectè Cornelius Iansenius in sua Concordantia hanc Annotatio

*Epist. 5.*

*Cap. 66.*